

A iure & in facto potuit reperiri, reputatumq; fuit, & est à doctissimis uiris & peitit diuini & humani iuris, quòd idem Benedictus pro unione ipsius ecclesiæ ac tollendo ecclesiæ scandalo & schismate, suo papatu cedere & tenebatur, & tenetur. Licet insuper idem Benedictus aliquorum deuictus instantia, deo & ecclesiæ promiserit, iurauerit, & uouerit pro unione ecclesiæ cedere papatu, altero de papatu cum eo contendente, cedente, mortuo uel eiecto, & Ioannes uicesimus tertius eiectus fuerit, & cesserit, ac Gregorius præfatus cesserit, ut præfertur, fueritq; idem Benedictus post hæc omnia nullo pro papa se gerente nisi ipso, ex parte principum suæ obedientiæ, necnon uniuersorum fere fidelium solenniter per charissimum ecclesiæ filium Sigismundum Romanorum, qui propter hoc ad eum personaliter accessit, & claræ memoriæ Ferdinandum Aragonum reges, atque nonnullos alios principes & dominos suæ obedientiæ apud eum propter hoc personaliter accedentes, necnon legatos Franciæ, Angliæ & Castellæ prædictorum, necnon charissimæ ecclesiæ filij Caroli Nauarræ regum atque generalis concilij Constantiensis prouinciæ Maguntinensis, sic per obedientias dicti Ioannis & Gregorij tunc nuncupati, cum magna deuotione, humilitate & instantia sæpe requisitus, quatenus præmissis attentis, cum non esset humanitus possibile, dictas alias obedientias ad suam obedientiam reduci, & in eo principaliter consistebat pondus schismatis & facultas illud tollendi, uellet dare pacem ecclesiæ, & schisma tollere per suam de suo papatu renunciationem, ad quod tenebatur de iure diuino pariter & humano, præsertim cum nulla alia uia sedandi schismatis prædicti per tor prudentium ingenia & labores tam diuturnis temporibus potuerit ad hoc accommoda (ut præmittitur) reperiri. Idem tamen Benedictus tantorum regum ac principum, quinimmo quasi totius ecclesiæ huiusmodi toties iteratis precibus, requisitionibus & admonitionibus contra propria iuramenta recusatis & spretis ac minime exauditis, præfatisq; ipsius ecclesiæ calamitatibus, scandalis atque periculis non compatiens nec prouidens, de loco Perpiniaci, ad quem præfati reges & principes ac legati pro præmissis conueniant, cum armata manu recessit, & ad Colliberium portum maris, ubi suas galeas armatas habebat, se transtulit. In quo loco existens, fuit adhuc de præmissis requisitus, pro parte oratorum regum Castellæ, Aragonum & Nauarræ ac principum prædictorum. Quam requisitionem tunc non exaudiuit, sed in longum protraxit, nec etiam postea exaudiuit, & de dicto loco recedens, in munitissimo castro Panistole Dertusensis diocesis, ubi ad eum non est tutus accessus, se reclusit. Vbi ex parte præfati regis Aragonum, de præmissa cessione fienda pro pace ecclesiæ fuit iterum & tertio requisitus, & iterum recusauit, & suo posse præfatum tam inueteratum schisma nutrix & fouer, & impedimenta quæcumque potest, præstitit & præstat, procurauit & procurat, ne ad prædictam unionem perueniri possit: quæ omnia schisma & hæresim inferunt, seu inferre censentur, per quæ etiam turbatur & scandalizatur, læditur & periclitatur status uniuersalis ecclesiæ prædictæ, diuq; fuit turbatus, scandalizatus & læsus. Quod etiam scandalum tantum est, quod attento uniuersalis ecclesiæ statu, nulla ratione potest de congregatione fidelium remoueri, nisi ipso cedente, mortuo uel eiecto, etiam si haberet uerum ius in papatu. Ex quibus idem Benedictus apparuit fuisse & esse fautor ac nutritor inueterati schismatis prædicti, atque schismaticus & hæreticus esse censendus. Et super his omnibus fuit & est publice & diutius diffamatus, taliter quòd sine scandalo ecclesiæ dissimulari non potest, nec sine periculo tolerari. Super quibus clamore ualido clamat & conqueritur populus Christianus, & præmissa quæ in facto consistunt, notoria reputatque uera. Conuenientes igitur in unum more solito canonicè conuocati ac repræsentantes uniuersalem ecclesiam, confidentes in domino, qui cœpit in nobis bonum opus, & duobus iam ipsius auxiliante gratia remotis impedimentis, & ipse perficiet, & exurgens miserabitur Sion, quia tempus miserendi eius quia uenit tempus. Contra tertium uidelicet dominum

al. illas

Philipp. a Pinal. 101.

Bene